

Rex, Byzantii gubernator, circumspicere cœpit, quo con-
filio, qua arte, quibus viribus commissum sibi tueri pos-
set Imperium. Apparebat præter Venetos neminem esse,
a quo subsidia ulla sperari possent. Continuo igitur & ipse,
& Theophilus Zenus, qui per id tempus Byzantii Prætor
erat, ad Tepulum Ducem mittunt, qui eum doceret de
novo duorum potentissimorum Principum fœdere, qui vul-
go dicerentur, in se arma comparare: opus proinde esse
novis auxiliis, & in primis celeritate, cujus maxima esse
soleant in bellis momenta: dicere, se pro comperto habe-
re, utrunque in magno apparatu belli esse occupatum.
Maturarent igitur Veneti opem ferre, si sibi Byzantium
defensum vellent: nec auxilia tantum, sed ea etiam expe-
diren, quæ ad arduum bellum sustinendum necessaria cre-
derentur. Nec cunctatione opus esse: ne si, quod nollet,
hostes subito incursu opportuna gerendo bello loca præoc-
cuparent, suis sociorumque rebus perditis, quum vellent,
subvenire non possent. Haud ociosis auribus eum civitas
accepit nuncium, rei periculo commota: continuo igitur
classem decernit non parvam. Quinque & viginti triremes
paucis diebus instructæ, Leonardo Quirino & Marco Gu-
ffonio Præfectis portu eductæ, celeri navigatione Byzantium
petebant, quum nunciata est interim urbis obsidio; vali-
da hostium classis circa eam esse dicebatur. Tum eo nun-
cio perculti triremum Præfecti, majore quam antea stu-
dio, ne quid interea mali urbi accideret, Constantinopo-
lim ire pergunt. Præerat hostium classi Leo Gavala, ho-
mo rei maritimæ non ignarus. Is, auditio Venetorum adven-
tu, mutata statione, eo classem applicuit, ubi terrestres co-
piæ (nam a continenti quoque jam urbs oppugnari cœper-
at) castra habebant. Sed nec id quoque hostium consil-
lium Venetum a congressu deterruit, quin sub ipsum sta-
tim appulsum ferociter in Græcam sit classem invectus.
Quod ipsum tanto ardore dicitur factum, ut momento tem-
poris quatuor & viginti triremes, reliqua classe disjecta,
in ipso tumultuantium hostium conspectu oppressæ sint.
Victor Venetus in urbem obsidione levatam ingressus, in-

genti

*Exazona-
rum classis
ante Byzan-
tium a Ve-
netis profli-
gata.*